

vivat, non tamen vivat, ut vir ejus. Sed hæc responsio nihil profus agit nisi verberare aerem, & verba in vanum profere: quia comprehenditur statim in astutia sua, per illa verba, quæ ipse Paulus statim subdit, sic dicens: *Si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri.* Et post pauca iterum repetit idem, sic dicens: *Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.* Ex quibus verbis apertissime constat, Paulum dicere solum mortem viri esse, quæ solvat mulierem à lege viri, & quæ faciat eam liberam à vinculo matrimonii, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Et inde apertissime colligitur, ut quamvis illa commiserit adulterium, si tamen vir ejus non moritur, illa sit alligata viro. Constat autem maritum tunc non mori, quando uxor illius committit adulterium, neque quando vir illum repudiat: ergo tunc uxor est illi alligata. Hæc omnia bene advertens beatus Augustinus, & prædicta Pauli verba pertractans libro secundo, de adulterinis conjugii, capite quarto, ait, *Secundum doctrinam sanam mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit, id est, nondum è corpore abscisit. Mulier enim sub viro vivo marito, juncta est legi, hoc est, in corpore constituto. Si autem mortuus fuerit, hoc est, de corpore exierit, evacuata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullus viri posterioris uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Ede autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur. Licet itaque dimittitur conjugium, ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris: propter quod sit reus adulterii, qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis. Hæc Augustinus. Deinde, præter omnia supra memorata, sacre scripturæ testimonia, hæc nostram, & Catholicam sententiam probat unus ex canonicis Apostolorum, quos beatus Joannes Damascenus, libro quarto, de fide orthodoxa, inter Canonicas scripturas commemorat. Unus autem ex istis. Canonibus, qui est 48. hæc verba continet. Si quis laicus cum suam à se uxorem abiecit, alteram duxerit, aut ab alio dimissam, communiione segregatur. Hæc Canon Apostolorum. Accedit ad hæc omnia concordans, omnium sanctorum Doctorum de hac re sententia, quæ, ut libro primo, hujus operis, cap. 7. probavi, tanti est ponderis, ut illi minime refragari liceat: quoniam perinde hoc esset, ac si totius Ecclesie sententiæ contradiceretur. Omnes autem sacri Doctores, qui de hac re differaverunt, quos ego videre potui, concorditer docent, per adulterium posse dissolvi matrimonium, quod thorum, & cohabitationem, sed non quoad vinculum. Ex istis omnibus, quos scivi de hac re differuisse, decrevi aliquod testimonium citare, ut illorum in hac parte concordiam, omnibus notam faciam. Omitto hic omnes Scholasticos Theologos, qui à Petro Lombardo illorum duce, atque magistro, originem sumserunt, quamvis omnes illi sint in hac nostra, & Catholica sententia concordantes, quoniam hi omnes etiam magnam etiam habeant apud viros Catholicos, & sinceros estimationem, & auctoritatem, tamen apud Erasmus hujus erroris recentem antesignanum, parvam habent opinionem, & illorum scripta passim circumferuntur, notaque sunt illis, quibus probati sunt. Ab illis igitur solis, qui ante Petrum Lombardum fuerunt, testimonia sumere volo: & primum testem cito Anselmum, qui in Commentariis, super quintum caput Matthæi, hæc ait, *Hic*

præcipit non dimittere uxorem, nisi tantum excepta causa fornicationis. Si enim ipsa ruperit legem conjugii, potest eam homo à se separare, ut commixtionem illam auferat sibi, quam violabit: sed tamen Sacramentum conjugii remanet, ut non aliam ducat. Et super 19. caput ejusdem Matthæi iterum hæc ait. Sola fornicatio est causa separationis. Postquam enim mulier quæ est viro juncta, & una erat in carnali copula, in aliam carnem illam unitatem transierit, & fornicatione illam diviserit, non amittit quidem vinculum conjugii: sed meretur non amplius carnaliter cum viro suo copulari: quia contra copulationem peccavit. Hæc Anselmus. Eandem sententiam multo paucioribus verbis docet Theophylactus, super Paulum interpretans Billud, ex epistola ad Ephesios, capite quinto. *Atharebit homo uxori suæ, ubi hæc ait. Ecce & aliam legem. Parentibus suis quicumque relicti, illi agglutinantur, & complicantur. Nec dixit cohabitabit, sed agglutinantur, unionem quæ divelli non possit, significans. Hæc ille. Eadem sententiæ favet Beda in Commentariis super decimum caput Marci, sic dicens: In Matthæo (cap. 19.) scriptum plenius est. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, machatur.* Una ergo solummodo causa est carnalis fornicatio: una spiritualis, timor Dei, ut uxor dimittatur: sicut multi religionis causa fecisse leguntur. Nulla autem causa est, Dei lege præscripta, ut vivente ea quæ relicta est, alia ducatur. Hæc Beda. Ante istos omnes hæc eandem sententiam docuit beatus Isidorus, libro secundo de Ecclesiasticis officiis, capite decimonono, hæc dicens. *Sacramentum ideo inter conjugatos dictum est, quia non potest Ecclesia dividi à Christo, ita nec uxor à viro. Quod ergo in Christo, & in Ecclesia, hoc in singulis quibusque viris, & uxoris conjunctionis inseparabile Sacramentum. Unde & Apostolus, (1. Cor. 7.) præcipio (inquit) non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere. Prohibet enim dimitti quacumque ex causa, ne aliis conjugatur secundum consuetudinem Judæorum, quam Dominus interdixit, dicens: (Matth. 5.) *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, & aliam duxerit, machatur.* Hæc Isidorus. In quibus verbis duo potissimum advertere oportet. Primum est quod ait, *inter virum, & uxorem esse conjunctionis inseparabile Sacramentum.* Alterum est quod ait: *Apostolum prohibere uxorem dimitti quacumque ex causa, ne aliis conjugatur.* Augustini testimonium pro hac nostra sententia, non oportet nunc citare, quia satis sufficiunt illius testimonia, quæ in hac disputatione supra per nos citata sunt. Catharinus agnoscens tot tantosque viros in hac sententia concordantes, dicit illos omnes secutos esse Augustinum, & ab illo hanc sententiam accepisse habere vires. Quid igitur mali habet, propterea quod ab Augustino incepit? Nuraquid ideo est rejicienda? Minime: immo extensis ulnis est amplectenda, quia illam posteri omnes susceperunt. Sed fallitur Catharinus dicens, hanc sententiam ab Augustino accepisse habere vires: quia constat illam per multa secula ante Augustinum adeo magnas habuisse vires, ut statum ac demens putaretur Christianus, qui contra illam pugnare auderet. Nonne Apostoli per multa secula præcesserunt Augustinum? Et illi fuerunt illius Canonis, quem supra citavimus, conditores. Et præter istos fuerunt adhuc alii Augustino vetustiores, qui eandem sententiam docuerunt. Nam Hieronymus quam-**

vis Augustino synchronus, senior tamen illo fuit, priusque illo scriptis: & hic in commentariis super decimum nonum caput Matthæi hæc ait, *Quis poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret: innocenti, & obsecundam copulam iustitiarum veteri crimine impingeret: sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam priorem vivente, non habeat.* Hæc Hieronymus. Et Hieronymo fuit aliquantulum senior Chrysostomus: quia ab eodem Hieronymo fuit annumeratus inter Ecclesiasticos scriptores. Ezechiel homilia 17. super Mattheum aperte eandem quam Augustinus docet sententiam, sic dicens. *Ille quidem si alteram duxerit, tunc se constituit criminis reum: qui alteram fecit ex conjugio: hic vero accipiendo alienam, adulter effectus est. Nequam enim mihi referas, quia illam alter eiecit. Nam ex ipsa quoque uxor esse ejus qui eam expulit, perseveravit. Hæc ille. Et homilia 69. super eundem Mattheum iterum ait. *Non enim dixit quia virum & mulierem unam solummodo fecit, verum etiam quibus jussit, ut unus uni conjungatur. Nam si voluisset alteram etiam condere uxorem, uni viro creato multas conformasset mulieres: nunquid vero vi creationis & sanctionis modo unam uni perpetuo conjungi, & nunquam rescindi oportere perdidit. Et paucis interpositis subdit. Hæc etiam lege non simpliciter mulierem viro colligari videris, sed patrem & matrem dimitrendos juberi, nec ad mulierem accedere: virum simpliciter voluit, verum etiam conglutinari, potestate dictionis ostendens, minime illos esse separandos. Hæc Chrysostomus. Ante Chrysostomum serè per duo secula fuit Origenes, qui tractatu septimo super Mattheum, interpretans illa verba Salvatoris ex decimo nono capite Matthæi de dimissione uxoris, præter causam fornicationis, hæc ait. *Scio enim quosdam, qui præstant Ecclesiis extra scripturam permisisse aliquam nubere, viro priore vivente: & contra scripturam quidem fecerunt dicentem: (1. Cor. 7.) *Mulier ligata est, quantum tempore vivit vir ejus. Item vivente viro adultera vocabitur, si nupta fuerit alteri viro.* Non tamen omnino sine causa hoc permisissent: forsitan enim propter hujusmodi infirmitatem incontinentiam hominum pejorum comparatione quæ mala sunt permisissent, adversus ea quæ ab initio fuerant scripta: (Mat. 19.) *Dico autem vobis, quoniam quicumque dimiserit uxorem nisi ob causam fornicationis, & aliam duxerit, machatur.* Postquam auidem aliquis & Judaicus vir, adversans doctrinam Salvatoris nostridicet, quoniam & Jesus dicens: *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam machari,* permisit uxorem dimittere quem admodum Moyses, quem retulit propter duritiam cordis Judæorum hoc præcepisse: & hanc ipsam inquiet esse causam fornicationis per quam uxor à viro dimittitur: secundum quam & Moyses præcepit dimittere uxorem, si inventa fuerit res turpis in ea. Sed ad hoc ita est respondendum, quoniam si secundum legem adultera lapidatur, manifestum est quoniam non secundum hoc intelligitur res turpis. Nec enim in causa adulterii oportet dare libellum repudii. Et post multa alia subdit. Quoniam ratione adultera est mulier, quamvis legitime nubere videatur viro vivente: eadem ratione & vir quamvis legitime accipere videatur dimissam ab aliquo viro, non accipit legitime, secundum sententiam Christi, sed magis meechar quæ alienam accipiens. Hæc tunc Origenes, qui multa notata digna dixit, contra adversarios nostros. Et verba hæc Origenis sunt juxta translationem Erasmi. Propter quod valde miror Erasmus tam effron-***

tem hoc in loco fuisse, ut in illa sua proluxa annotatione super septimum caput prioris epistolæ ad Corinthios non sit veritus dicere, Origenem non reprehendere illos Episcopos, qui permisissent viros, ducere alias uxores, viventes prioribus adulteris, cum tamen aperte dicat Origenes, illos contra scripturam fecisse. Clemens Alexandrinus: Origenis magister, libro secundo Stromatum ait, *noni oad adhibet omnia: sic omni, invidiosaq. sicut* Quod autem consulet scriptura uxorem ducere, & nec à conjugio unquam permittat discedere, legem aperte constituit. Non dimitte uxorem, præterquam propter fornicationem. Ad alterum autem existimant conjugii matrimonio vivo altero ex separatam. Hæc Clemens Alexandrinus. Et reperio quæ eadem videri solent, pagin. 83. in impressione Florentina. Idem. Clementem plus uno integro sæculo præcessit Evaristus Papa: quoniam hic, ut ex Ponticali Damasi constat, fuit temporibus Domitiani & Nervæ Trajani. Hic autem in secunda epistola sua hanc nostræ sententiæ aperte favet, sic dicens. *Sicut vir non debet adulterare uxorem suam, ita nec Episcopus Ecclesiam suam, id est, ut illam dimittat, ad quam sacramentum est, absque inevitabili necessitate, aut Apostolica vel regulari mutatione, nec alteri se ambitus, causas conjugat. Et sicut uxori non licet dimittere virum suum, ut alteri se vivente, eo matrimonio societ, aut eam adulteret, licet fornicatus sit vir ejus, sed juxta Apostolum aut viro suo reconciliari debet, aut manere in nupta: ita Ecclesia non licet dimittere, aut ab ea separare Episcopum suum, ut alterum, vivente eo, accipiat: sed ut ipsum habeat, aut in nupta maneat, id est, ne alterum Episcopum, suum vivente, accipiat, ne fornicationis, aut adulterii crimen incurrat. Hæc Evaristus Papa & martyr. Ex cuius verbis constat, falsam & nimis violentam esse expositionem quam reddit Catharinus illis verbis Apostoli. *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere in nupta, aut viro suo reconciliari.* Dicit enim Catharinus (ut jam supra retuli) illa verba hoc modo esse interpretanda. *Præcipio uxorem à viro non discedere, excepta causa fornicationis, quod si discesserit, præter causam fornicationis, manere in nupta, aut viro suo reconciliari.* Et juxta hanc suam interpretationem dicit, Paulum non præcipere, uxorem, quæ à viro propter illius fornicationem recessit, manere in nupta, aut viro suo reconciliari. Sed hæc Catharini sententia apertissime convincitur esse falsa, per verba Evaristi, dicens, Apostolum præcepisse, uxorem quæ à viro discessit, etiam si ille fornicatus sit, manere in nupta, illo vivente, aut viro reconciliari. Et certe ex ipsis verbis Pauli constat, malam & violentam esse illam Catharini expositionem. Nam quando Apostolus dixit: *Quod si discesserit, non admittit illud quod illicitum erat mulieri, de quo non erat opus amplius disputari quod possit facere in eo statu in quo non poterat jure consistere: sed admisit aliud quod mulieri facere licebat, quod est, discedere à viro propter illius fornicationem.* Et tunc ulterius progreditur, declarans quid tunc facere possit, & dicit eam non posse alteri nubere, sed necessario manere in nupta, aut viro suo reconciliari. Et istis omnibus testimoniis hæc tunc citatis jam aperte constat, falsum esse quod Catharinus hanc ait nostram sententiam accepisse vires ab Augustino: quoniam multi viri illustres Augustino vetustiores illam docuerunt, & nullus vir aliquis nominis illam autem esse rejecit. Nam illos Episcopos*

pos quos Origenes refert contrarium fecisse, ipsemet dicit extra scripturam dixisse, & contra scripturam fecisse. Sicut adhuc praeter sapientia Evaristi placuit, ut secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjugantur: sed ita maneat, ut sibi inter se reconciliantur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur. In qua causa legitur imperialem petendam promulgari. *Quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.* Si ergo uxore dimissa, duci alia de jure non potest, fortius & ipsa retenta. Hæc Innocentius, qui hæc dicens nihil, ut ex verbis illius constat, novum statuit: sed solum arguit ex eo quod certo credidit esse de jure divino. Alexander tertius qui hunc Innocentium præcessit, in cap. Ex parte, de sponsalibus & matrimoniis, per hæc verba definit. Quia nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere, & tunc eam sibi reconciliare debet, aut ipsa vivente continere, mandamus quatenus eundem, ut super inducitur dimissa, ad uxorem suam redeat, & eam maritali affectione pertractet; monitione præmissa, per Ecclesiasticam censuram cogatur. Hæc Alexander tertius, qui nullum in hac parte novum decretum statuit: sed præcepit, ut fieret juxta id quod constabat esse de jure. Ante hos duos summos Pontifices, per multa sæcula præcessit Innocentius Papa hujus nominis primus, qui in epistola ad Exuperium Tholosanum Episcopum, à quo de hac re fuerat interrogatus, capite sexto per hæc verba responder. De his etiam requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt, quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum, ut etiam hæc personæ quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commississe videantur, secundum illud quod legitur in Evangelio: *Qui dimiserit uxorem suam, et duxerit aliam, moechatur.* Similiter & qui dimissam duxerit. Hæc Innocentius primus, vir quidem sanctitate & doctrina clarissimus. In cujus verbis id potissimum annotandum est, quod nullum tunc statuit decretum sed solum questionem sibi propositam respondet, per testimonia sacre scripturæ. Et hoc annotare oportuit propter Erasmus, qui dicit, solis Pontificum decretis & non divino mandato esse prohibitum viro, qui uxorem suam propter adulterium reliquit, ut alteram ducat. Catharinus etiam in illis suis annotationibus contra Cajetanum, hæc ait. Satis est quod decretis Pontificum hanc per se reverentiam, ut juxta illa etiam doceam atque consulam. Hæc Catharinus. Et certe ut ingenue loquar, multo magis in hac parte miror errasse Catharinum quam Erasmus, propterea quod Catharinus à principio suorum studiorum fuit ex professione jurisperitus, & in illa facultate nomen obtinuit antequam ordinem Sancti Dominici proficeretur. Potuit igitur ille optime advertisse, si voluisset, nullum Pontificem de hac re auctoritate propria decretum aliquod, quasi suum statuisse: sed quomodo de hac re locuti sunt, solum declarasse quid Dominus in Evangelio statuisset. Et propter hanc causam postquam citavi illa verba istorum trium Pontificum, hoc in illis omnibus annotavi, ut inde ostenderem illos omnes docuisse, hanc nostram sententiam esse ex jure divino, & non ex institutione sua. Nihil jam mihi superesse video, ut hanc nostram & Catholicam sententiam plene probatam relinquam, nisi ut Ec-

clesiæ Catholicæ aperiam de hac re definitionem professam. Concilium Mileitanum cap. 7. suorum decretorum in hac contentione, per hæc verba definit. Placuit, ut secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjugantur: sed ita maneat, ut sibi inter se reconciliantur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur. In qua causa legitur imperialem petendam promulgari. *Quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.* Hæc Concilium Mileitanum: quod etsi provinciale fuisse fatemur, illud tamen ab Innocentio hujus nominis primo fuisse confirmatum, Augustinobid testante, quo cognoscimus. Hæc autem verba ad majorem illorum confirmationem potest in Concilio Africano capite 79. eodem profus ordine reparita sunt. Sed ne quis adhuc contendat ambo hæc Concilia fuisse provincialia: profero Concilium Florentinum, quod citra omnem dubitationem fuit generale, ad quod Græci & Latini conveniunt. Hoc autem Concilium in definitione fidei Armenis datam, de sacramento matrimonii loquens, per hæc verba definit. *Ad signatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda & educanda ad cultum Dei. Secundum est fides quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi & Ecclesiæ. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere: non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contractum perpetuum sit. Hæc Concilium Florentinum.* Si quis tamen contentiosus Cajetano patrocinari vult, dixerit, definitionem illam fidei Armenis datam non esse à toto Concilio, sed à solo Eugenio Papa post solutionem Concilii editam, minime poterit hac via illum juvare: quoniam Cajetanus ipse alibi docet, Papam in definitionibus fidei errare non posse. Deinde Cajetanus in illo suo opusculo de comparatione auctoritatis Papæ & Concilii capite primo & tertio aperte testatur doctrinam illam sacramentorum Armenis datam, à toto Concilio fuisse editam. Et hoc opusculum multo ante addidit ille, quam sacram scripturam commentari tentasset, in cujus commentariis hanc de divortio protulit sententiam. Quapropter ego non video quomodo ille in hac parte excusari possit, cum conslet illum generalis Concilii definitionem optime novisse, contra quam non est veritas sentire & publice docere. Hæc tamen ego non dico, quia personam illius ob hanc causam accusare velim. Nam ego in hoc opere, ut alias sæpe me dixisse memini, non contra personas, sed contra falsas & hæreticas doctrinas agere statui. Possibile etiam est, ut licet illam fidei definitionem à Concilio Florentino Armenis datam legisset, quam opusculum illud scripsit longo tamen postea tempore elapso quam scripsit illa commentaria super Evangelia, non fuit memor illius Concilii Florentini, quod antea legerat. Non enim omnia quæ legitima perpetua memoria retinemus. Et ideo nolo personam illius propter hunc errorem damnare, præsertim cum in hac sententia, ut jam à principio dixi Ecclesiæ definitioni se subdidit. Sed jam opus est, ut respondeam ad versariorum argumentis, quibus illi se motos fuisse dicunt, ut præfatam doctrinam tuerentur. Primo quidem argumentantur Erasmus & Catharinus durum esse, ut his qui sine culpa sua, sed propter solam uxoris fornicationem, illam dimisit, cogatur ad continentiam servandam, præsertim si talis est natus, ut ad carnales coitus sit pronus. Hanc argumentationem vehementer

ter exaggerat Catharinus, & multa circa illam verba expendit. Sed hanc argumentationem per multa sæcula antea proposuerat Pollentius ille, ad quem Augustinus tractatum illum suum de adulterinis conjugis scripsit. Erasmo igitur & Catharino, ego melius respondere non potero, quam illi Pollentio respondit Augustinus libro secundo de adulterinis conjugis, capite decimo sic inquires. Sed respondes mihi, Continententer vivere paucorum est. Et ideo qui fornicantes conjuges dimiserunt, quoniam non possunt reconciliari, tantum se vident periclitari, ut legem Christi non humanam, sed feralem pronuntiant. O frater, quantum ad incontinentes pertinet, nullas querelas habere possunt, quibus ut dicis, legem Christi feralem pronuntiant, non humanam. Et tamen non propter illos Evangelium Christi pervertitur vel mutare debemus. Te quippe sola illorum querela permovet, ut qui conjuges causa fornicationis intercedente dimittunt, si alia ducere non sinantur, quoniam continere paucorum est, atque ad id debent laude exhortari, non lege compelli. Itaque si dimissa adultera non ducitur altera, justam querelam, sicut putas, habebit hominum incontinentia. Sed attende quam plura sunt, ubi si querelas incontinentium velimus admittere, necesse non bis erit adulteria permittere. Quid si enim aliquo dicitur non & insanabili morbo corporis teneatur conjunx, quod concubicus impediatur? Quid si captivitas vel vis aliqua separaret, ita ut sciat vivere maritus uxorem, cujus sibi copia denegatur, confesne admittenda incontinentiam murmura, & permittenda adulteria? Quid in hoc ipso unde interrogatus est Dominus, responditque fieri non debere, sed ad duritiam cordis eorum Moysen permisisse dari libellum repudii, & quacumque causa dimittere uxorem? Nonne lex Christi incontinentibus displicet, qui uxores litigiosas, injuriosas, imperiosas, fastidiosas, & ad reddendum debitum conjugale difficillimas, repudio interveniente abjicere volunt & aliteras ducere? Hæc Augustinus. Eodem modo respondit Innocentius tertius in capitulo, Quanto, de divortio. Sed quantum ad illud exemplum de homine secundo quod illic proponit Innocentius, aliqui objiciunt dictam quoddam Gregorii junioris, quod citatur à Gratiano in cap. Quod proposuisti. 32. quæ. 7. Ad hoc tamen respondet, & bene Gratianus, quod Gregorius ille sic definiendo erravit, quamquam glossa in illo loco nititur illum Gregorium excusare. Secundo argumentantur adversarii ex hoc quod vir non tenetur uxori, neque uxor viro, nisi ad reddendum carnale debitum, & ad cohabitationem, & mutuum obsequium. Ab his autem omnibus absolvitur per divortium conjux innocens in poterit favore concessum est divortium: ergo saltem ille poterit transire ad secundas nuptias. Ad hoc argumentum facile respondetur negando primum assumptum illius. Ut autem apertius illius falsitatem ostendam, admoveo lectorem ut advertat, quod post quodlibet contractum & ratum matrimonium confurgit inter ipsos conjuges duplex obligatio mutua. Altera est affirmativa qua sibi invicem reddere tenentur carnale debitum & mutuum obsequium: & hæc profus tollitur per divortium. Altera est negativa, qua quilibet illorum tenetur non reddere alteri copulam carnalem, nisi illi soli cui se alligavit per matrimonium, & hæc non tollitur nisi per mortem alterius conjugis. Et de hoc vinculo solo intelligitur illud Pauli: *Mulier alligata est viro quanto tempore vir ejus vivit.* Et ex intelligentia hujus obligationis colligitur etiam clarior responsio ad argumen-

tum præcedens, ut intelligant Erasmus & Catharinus, non esse durum & asperum cogere ad continentiam virum qui uxorem suam propter adulterium reliquit, & non vult se illi reconciliari. Nam quoad matrimonium cum illa contraxit, ipse se ad hanc duritiam & asperitatem tolerandam obligavit, quo fit, ut quod à principio promissum, postea sit obligatus tenere. Neque in hoc fit illi injuria, quia sciens tale vinculum esse in matrimonio, voluntarie se tali vinculo ligavit. Scienti autem & volenti, ut regula ait, non fit injuria. Tertio sic argumentatur adversarii. Id quod Dominus dixit juxta thorem legis antiquæ: *Qui dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii,* intelligendum est de dimissione perfecta, quæ non solum est quoad thorem, sed etiam quoad vinculum, quod negari non potest, quia sic lex olim intelligebatur: ergo quod Dominus locutus est de dimissione Evangelica, quæ est propter causam fornicationis, eodem modo intelligendum est de dimissione perfecta, non solum quoad thorem, sed etiam quoad vinculum. Hoc argumentum tanti facit Catharinus, ut dicat se non videre quid dici valeat, quod erudito pectori satisfaciat. Et certe hujus argumenti non fuit ille primus inventor, quia ante illum Erasmus scripserat in suis annotationibus super septimum caput prioris epistolæ ad Corinthios, sic dicens: Atqui divortium, inquit, approbat Ecclesia, sed hæcenus, ut uterque maneat ut inconjugatus. Obsecro te an de hoc divortio sentit Christus? A Judæis interrogatur, Judæis respondet. At illi nullum aliud novant divortium, nisi quod adimeret jus repetendi dimissam, & daret jus ducendi alteram. Hæc Erasmus. Sed hoc argumentum, quod isti tanti faciunt, ego nihili facio: quia confidoro diligenter & attente quædam alia verba quæ Christus Salvator noster dixit parum ante illa de quibus nunc disputamus. *Nisi abundaverit (inquit Math. 5.) justitia vestra plusquam Phariseorum & Scribarum, non intrabitis in regnum caelorum.* Quibus præmissis statim progressus est ad reformandos illos errores, quibus Pharisei & Scribæ erant infecti, & populum inficiebant. Emendabit itaque in omnibus illis id quod male illi ante docere solebant. Et unum ex illis erat in repudio uxorum suarum, per quod illi putabant se esse solutos à vinculo uxoris, quam repudiabant. In quo maxime errabant: quia licet permixtum erat illis, ut post repudiatam unam, alteram ducere possent, sic tamen facientes peccabant: quia contra jus naturæ faciebant, in quonemo potest dispensare, nisi ille qui est supra naturam. Ad hoc ergo serviebat illis permissio, ut non propter hoc punirentur, sic dimittentes uxores suas: non autem ut liberi essent à peccato. Nam quia peccabant sic facientes, ideo Christus postea non dixit, Deus permisit, sed Moyses. Et hoc annotavit Hieronymus in commentariis super Mattheum interpretans illa Salvatoris verba, *Moyses ad duritiam cordis vestri, &c.* Ubi hæc ait: Quod dicit istiusmodi est. Numquid potest Deus sibi esse contrarius, ut aliud ante jasserit, & sententiam suam novo frangat imperio? Non ita sentiendum est: sed Moyses cum videret propter desiderium secundarum conjugum quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores essent, primas uxores interfecit aut malam vitam ducere, maluit indulgere discordiam, quam odium & homicidia persequere. Simulque considera, quod non dixit: Propter duritiam cordis vestri permittit vobis Deus, sed Moyses: juxta Apostolum consilium fit hominis, non imperium Dei. Hæc Hieronymus. Est adhuc aliud considerandum, quod non dixit Christus Moysen præcepisse, sed